



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Paulus V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

tantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 15. Ut autem præsentibus litteræ ad omnium quos concernunt notitiam facilius deveniant, volumus illas ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ more solito publicari & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congregationes, & Confraternitates Sæcularium, quæ in Urbe quidem post mensem, quæ verò in Europa, post decem menses, quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses, à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere, & arcere, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent.

§. 16. Et nihilominus, ut ipsæ præsentibus litteræ notiores fiant, magisque omnibus innotescant, universis & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, per easdem præsentibus committimus & mandamus, ut per se vel alium, seu alios, hæc nostras litteras, postquam eorum tenorem receperint, seu earum notitiam habuerint, semel aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & majoribus respectivè Ecclesiis Civitatum, Oppidorum & Locorum quorumcumque eorum Diocesum, dum in eas major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & publicari Auctoritate Nostra mandent ac faciant.

§. 17. Cæterum quia difficile foret easdem præsentibus ad singula loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique Fides habeatur, quæ ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die septima Decembris, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1604. Indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi Patris, & Domini nostri, Domini Clementis, Divinâ Providentiâ Pape VIII. anno 13. die verò 14. Mensis Decembris retrospectivè litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Sancti Joannis.

PAULUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXXVII.
ANNO DOMINI MDCV.

Paulus Quintus Burghefius anno 1605.
Pontificatum accepit: Controversiam de

Gratia & Libero Arbitrio inter Dominicanos & Ignatianos compressit, sic ut quisque à parte sua staret sine damnatione adversæ sententiæ: annos sexdecim vixit. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemburgensis 1727. Tom. III. fol. 195. App.*)

Breve Interdicti contra Rempublicam Venetam, & Edictum Leonardi Donati Ducis Venetiarum, de non recipiendò Brevi Pontificio: Anno 1606.

I.
Ex Monarch.
Goldasti
Tom. 3.
pag. 282.

PAULUS QUINTUS.
PONTIFEX MAXIMUS.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per universum Dominium Reipublicæ Venetorum constitutis, & dilectis Filiis eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus, nec non universis Abbatibus, Prioribus, Primiceriis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Plebanis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque Personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis in eodem Dominio existentibus, tam Sæcularibus, quam quorumvis Ordinum & Institutorum Regularibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Superioribus Mensibus ad nostram, & Apostolicæ Sedis audientiam pervenit, Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetorum annis elapsis in eorum Consiliis plura ac diversâ Decreta, tum Sedis Apostolicæ Auctoritati, & Ecclesiæ Libertati, ac Immunitati contraria, tum Generalibus Conciliis, & Sacris Canonibus, nec non Romanorum Pontificum Constitutionibus repugnantia statuisse: & inter cætera sub die 23. Mensis Maji Anni M DC II. sumpta occasione ex quadam lite, seu controversia inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex una, & Monachos Monasterii de Præglia nuncupatos, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, aliàs S. Justinae de Padua in Diocesi Paduana ex altera, partibus, vertente, eorum Consilio statuisse, non solum, ut dicti Monachi tunc, aut deinceps ullo unquam tempore actionem, per quam sub quovis titulo, aut colore in Bonis Ecclesiasticis emphyteuticis à Laicis possessis præferantur, prætendere, ac etiam Jure Prælationis, seu Consolidationis directi, cum utili Dominio, aut extinctionis lineæ, inprimis Investituræ comprehensæ, aut aliâ quavis causâ bonorum prædictorum proprietatem sibi vindicare minime possent, sed tantummodò jus directi Domini illis præservatum esset: verum etiam, ut idipsum quoad cæteras omnes Personas Ecclesiasticas, Sæculares & Regulares, Monasteria Monialium, Hospitalia, & alia loca pia in eorum temporali Dominio existentia, declaratum, & firmiter deliberatum censeretur. Et sub die 10. Januarii ad superiora quædam consilia ab eorum majoribus, ut etiam assererant, habita respicientes, quibus cavebatur, ne quisquam sive Sæcularis, sive Ecclesiasticus in Urbe Venetiarum, Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, atque alias Religiosas Domos, & pia loca, sine eorum speciali licentia fundaret, & erigeret, in Consilio Rogatorum congregatos iterum decreville, ut id

eandem

eandem in omnibus jurisdictionis eorum locis vim obtineret: & præterea exilii, ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditionisque ædificii contra seculum facientes poenam edixisse. Ulterius eodem Ducem, & Senatum die 26. Mensis Martii, anni MDCV. inherentes alteri Decreto, anno MDXXXVI. ab eodem Senatu facto, in quo (ut asserbant) erat expressè prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis poenis in Urbe Venetiarum, ejusque Ducatu bona immobilia ad pias causas testamento, seu donatione inter vivos relinqueret, aut aliquovis titulo alienaret, sive ad earum favorem ultra certum tunc expressum tempus obligaret (quod in illum usque diem, ut ibi etiam dicebatur, usu receptum, & observatum non fuerat) non modo iterum id vetuisse, sed expressè etiam prohibuisse, ne bonorum ejusmodi immobilium alienationes in favorem Personarum Ecclesiasticarum, sine Senatus prædicti licentia fierent, ac insuper decretum ipsum, & poenas in eo contentas per universum eorum Dominium extendisset, & per Rectores, & Potestates Civitatum, & Locorum sui Domini promulgari fecisset, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmissorum formam vendi, aut quovis modo alienari contingeret, ultra nullitatis poenam publicari, & vendi, eorumque pretium inter Rempublicam ipsam, Magistratum exequentem, & ejus Ministros, ipsumque denuntiatorem dividi mandasse, & aliàs prout in Decretis & Mandatis Ducis, & Senatus prædictorum latius dicitur contineri. Ac præterea eosdem Ducem & Senatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Forojuliensem Abbatem Monasterii, seu Abbatiæ de Nervesa Tarvisiæ Diocesis, Personam in Dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam præterita crimina in Urbe Vicentina, & alibi per illos (ut dicitur) commissa, carceri mancipasse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu, quod eis hæc facere liceret, inter alia ob quædam ipsis Duci & Reipublicæ à quibusdam Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, concessa (ut asserbant) privilegia. Cumque præmissa in aliquibus Ecclesiarum Juribus, & Personarum Ecclesiasticarum Privilegiis præjudicium inferant, ipsamque Libertatem, ac Immunitatem Ecclesiasticam tollant: Ac ea omnia in ipsorum Ducis, & Senatus animarum perniciem, & scandalum plurimorum tendant: Et cum ii, qui supradicta, ac similia edere & promulgare, illisque uti ausi sunt, in Censuras Ecclesiasticas à Sacris Canonibus Generalium Conciliorum decretas, & Romanorum Pontificum Constitutionibus inflictas, nec non etiam privationis feudorum, & bonorum, si quæ ab Ecclesiis obtinent, poenas eo ipso incurrerint, à quibus censuris & poenis, non nisi à Nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, & liberari possint, ac propterea inhabiles, & incapaces sint, qui absolutionis, & liberationis beneficium consequantur, donec editas leges novis edictis atque decretis sustulerint, omniaque inde sequuta re ipsa in pristinum statum reintegraverint: Cumque etiam Dux, & Senatus prædicti, post plures paternas nostras monitiones, à multis mensibus circa eis factas, adhuc decreta & edicta præfata non revocaverint, ac eosdem Canonicum Saracenum, ac Abbatem Brandolinum carceratos detineant, & illos Venerabili Fratri Horatio Episcopo Hieracensi nostro, & Apostolica Sedis apud eos Nuntio, ut debebant, non consignaverint: Nos, qui nullo pacto ferre debemus, ut Ecclesiastica Libertas, & Immunitas, nostraque & Sedis Apostolicæ Auctoritas violetur, & contemnatur, inherentes plurimum Generalium Conciliorum Decretis, ac vestigiis Romanorum Pontificum Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Clementis IV. & Martini etiam IV. Bonifacii VIII. Bonifacii IX. Martini V. Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum,

Prædecessorum nostrorum, quorum aliqui similia Statuta, aliàs contra Libertatem Ecclesiasticam edita, tamquam ipso jure nulla, invalida, & irrita revocarunt, ac nulla, invalida & irrita esse decreverunt, & declararunt, & aliqui contra similia edictum statutorios, & alios excommunicationis promulgationem, nec non ad alia infra-scripta, seu eorum aliqua devenerunt: habitâ cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura consultatione, de ipsorum consilio & assensu, licet supradicta Decreta, Edicta, & Mandata ipso jure nulla, invalida, & irrita sint, ea nihilominus ipso jure adhuc de novo nulla, invalida, & irrita, nulliusque roboris & momenti fuisse, & esse, & neminem ad illorum observantiam teneri, per præsentem decernimus, & declaramus. Et insuper Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, nisi Dux, & Senatus prædicti intra 24. dies à die publicationis presentium in hac Alma Urbe faciendæ computandos, quorum octo primos pro primo, octo pro secundo, & reliquos octo pro tertio, & ultimo ac peremptorio termino, & pro monitione canonica illis assignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde secuta quæcumque omni profus exceptione, & excusatione cessante, publicè revocantur, & ex eorum Archivis, seu Capitularibus Locis, aut Libris, in quibus decreta ejusmodi annotata reperiuntur, deleri, & cassari, & in locis ejusmodi Domini, ubi promulgata fuerunt, revocata, deleta, & cassa esse, neminemque ad illorum observantiam teneri, publicè denunciari, ac omnia inde secuta, in pristinum statum restitui fecerint: & ulterius nisi à similibus decretis contra Libertatem, Immunitatem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam, ac Nostram, & Sedis Apostolicæ Auctoritatem, ut præfertur, faciendis edendis, & respectivè faciendis in posterum cavere, & penitus abstinere promiserint, ac nos de revocatione, deletione, cassatione, nuntiatione, restitutione, ac promissione prædictis certiores reddiderint, & nisi etiam prædictos, Scipionem Canonicum, & Brandolinum Abbatem prædicto Horatio Episcopo & Nuntio cum effectu consignaverint, seu consignari fecerint, ipsos tunc, & pro tempore existentem Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetæ Statutarios, & eorum Fautores, Consultores, & Adhærentes, & eorum quemlibet, etiam si non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina, & cognomina presentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc, & contra excommunicamus, & excommunicatos nunciamus, & declaramus. A qua excommunicationis sententia, præterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam à Nobis & Romano Pontifice pro tempore existente, etiam prætextu cujuscumque facultatis, & cuilibet illorum, tam in genere, quam in specie pro tempore desuper concessæ, seu concedendæ, nequeant absolutionis Beneficium obtinere; Et si quempiam eorum, tanquam in tali periculo constitutum, ab ejusmodi excommunicationis sententia absolvi contigerit, qui postmodum convalescit, is in eandem sententiam concidat, eo ipso, nisi Mandatis nostris, quantum in se erit, paruerit. Et nihilominus si obierit post obtentam hujusmodi absolutionem, Ecclesiastica careat sepultura, donec Mandatis nostris paritionem fecerit. Et si dicti Dux & Senatus per tres dies post lapsum dictorum 24. dierum, excommunicationis sententiam animo (quod absit) sustinerint indurato, sententiam ipsam approbantes: ex nunc pariter, prout ex tunc, Civitatem Venetiarum, & alias Civitates, Terras, Oppida, Castra, & Loca quæcumque, ac universum temporale Dominium dictæ Reipublicæ Ecclesiastico Interdicto supponimus, illamque & illud

supposita esse nunciamus, & declaramus: quo durante, in dicta civitate Venetiarum, & aliis quibuscunque dicti Domini civitatibus, Terris, oppidis, castris, & locis, illorumque Ecclesiis, ac locis piis & Oratoriis, & Domesticis Capellis, nec publicè, nec privatim missæ, tam solemnes, quam non solemnes, aliaque divina officia celebrari possint, præterquam in casibus à jure permittis: & tunc in Ecclesiis tantum, & non alibi, & in illis etiam januis clausis, non pulsatis campanis, ac excommunicatis, & interditiis prorsus exclusis; neque aliter quæcunque indulta, & Apostolica privilegia quoad hoc, quibuscunque tam secularibus, quam regularibus Ecclesiis, etiam quantumcunque exemptis, & Apostolicæ sedis immediatè subiectis, etiam si de ipsorum Ducis, & senatus jure patronatus, etiam ex fundatione, & donatione, aut etiam privilegio Apostolico existant, ac etiam si tales sint, sub generali dispositione non comprehendantur, sed de illis specialis, & individua mentio habenda sit, Monasteriis, ordinibus etiam mendicantiis, aut Institutis regularibus, eorumque Primiceriis, Prælaris, superioribus, & aliis quibuscunque etiam particularibus personis, aut piis locis, & oratoriis etiam domesticis, ac Capellis privatis, ut præfertur, in genere, vel in specie, sub quibuscunque tenoribus, & formis hætenus concessa, & in posterum concedenda, eis ullatenus suffragentur. Ac ulterius eosdem Ducem, & senatum, & quemlibet eorum, non solum Reipublicæ, sed etiam privato nomine, si aliqua bona Ecclesiastica in feudum, seu aliis quovis modo à Romana aut vestræ, seu aliis Ecclesiis concessa obtineant, illis bonis, & feudis, necnon etiam omnibus, & quibuscunque privilegiis, & indultis in genere, vel in specie in quibusdam videlicet casibus, & delictis contra clericos procedendi, illorumque causas certa forma præscripta cognoscendi, à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris illis forsan quomodolibet concessis, ex nunc similiter prout ex tunc, & è contrà privamus, ac privatos fore, & esse nunciamus, & decernimus. Et nihilominus si ipsi Dux, & senatus in eorum contumacia diutius persistierint indurati, censuras, ac pœnas Ecclesiasticas contra illos, ejusque adherentes, & in præmissis quovis modo faventes, aut auxilium, consilium, & favorem præstantes, etiam iteratis vicibus aggravandi, & reagravandi, aliasque etiam pœnas contra ipsos Ducem, & senatum declarandi, & ad alia opportuna remedia juxta sacrorum Canonum dispositionem contra eos procedendi facultatem nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris nominatim, & in specie reservamus, non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non privilegiis, indultis, & literis Apostolicis eidem Duci, & senatui, aut quibusvis aliis personis, in genere, vel in specie, præsertim quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ac alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, ac in specie cum facultatibus absolvendi in casibus nobis, & Apostolicæ sedis reservatis, illis quovis modo per quoscunque Romanos Pontifices, ac nos, & sedem Apostolicam in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, & aliis supra expressis eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscun-

que. Ut autem præsentibus nostræ literæ ad omnium majorem notitiam deducantur, vobis, & cuilibet vestrum per eandem præsentibus committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub divini interminatione judicii, nec non sub interditi ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à Pontificalium exercitio, ac fructuum mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium perceptione, quoad vos Fratres, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ac etiam privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, quæcunque obtinueritis, ac etiam vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obrinenda, quoad vos Filii Vicarii, & alii supra dicti eo ipso incurrendis, aliisque arbitrio nostro infligendis pœnis districtè præcipiendo mandamus, ut per vos, vel alium, seu alios præsentibus literas, postquam eas receperitis, seu earum notitiam habueritis, in vestris quisque Ecclesiis, dum major in eis populi multitudo ad divina convenerint, ad majorem cautelam solemniter publicetis, & ad Christi fidelium notitiam deducatis, necnon ad Ecclesiarum earundem vestrarum valvas affigi, & affixas dimitti faciatis. Et ulterius volumus, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eadem præsentibus, sive earum exempla etiam, ut præfertur, impressa ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ valvas, & in acie campi Floræ, ut moris est, affixæ, & publicatæ eoque etiam universos, & singulos respectivè perindè afficiant ac si eorum, ac vestrum cuilibet personaliter directæ, intimatæ & præsentatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 17. Aprilis anno 1606. Pontificatus nostri anno primo.

M. Veltius Barbanius.

Anno à natiuitate Domini nostri Jesu Christi 1606. Indictione 4. die verò 17. mensis Aprilis Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papæ V. anno ejus primo, supra dictæ literæ, earumque exempla impressa, affixa, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie campi Floræ, ut moris est per nos Christophorum Fundatum, & Joannem Dominicum de Pace Apostolicos cursores.

Petrus Aloysius Peregrinus
Curforum Magister.

EDICTUM Ducis Venetiarum contrà BREVE Pontificis.

LEONARDUS DONATUS

Dei gratia Dux Venetiarum &c. Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Universi Domini nostri Venetiarum, & Vicariis, Abbatibus, Prioribus, p. rochialium Ecclesiarum Rectoribus & aliis Prælati Ecclesiasticis salutem.

Ad aures nostras pervenit, sanctissimi Patris Pauli Papæ V. mandato quoddam assertum Breve contrà nos, ac senatum, & Dominium nostrum fulminatam, Romæ die 17. Aprilis proximè elapsi publicatum, & affixum fuisse, vobisque directum, cujus tenor in ipsis ejus literis continetur. Quamobrem nos, qui tranquillitatem,

A N N O
1606.

ac quietem domini nostro regimini Deo commissi servare tenemur, & auctoritate Principis neminem superiorem in temporalibus sub Divina Majestate agnoscentis tueri debemus, his nostris publicis literis coram Deo, & universo Orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermisum fuisse, quod validissimæ, & indissolubiles rationes, & jura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eique probarentur; primum quidem per Oratorem nostrum apud sanctitatem suam legatione fungentem, deinde verò per nostras literas; quibus respondimus prioribus Brevibus nobis ab eâ directis demum per extraordinarium Oratorem ad eandem propterea missum. Verùm cum sanctitatis suæ aures clausas invenerimus, cognoverimusque præfatum Breve contrà omne jus, & æquum emanasse, & contra ea, quæ divina scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis secularis à Deo nobis traditæ, & libertatis Reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquilla possessionis, bonorum, honoris, & vitæ, quæ fideles subditi nostri, divina gratiâ, sub nostro regimine fruuntur, non sine omnium scandalo promulgatum fuisse: Prædictum Breve non modò ut injultum, indebitumque, verum etiam ut nullum, nulliusque roboris aut momenti nobis habendum esse non dubitamus: Atque ità invalidum, irritum, & ulminatum illegitimè, & de facto, nulloque juris ordine servato, ut ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus majores nostri, & alii supremi Principes usi sunt cum Pontificibus, qui potestatis à Deo sibi in ædificationem traditæ, limites, ac modos egressi fuerunt. Præsertim cum exploratò nobis sit, vos, ceterosque Fideles nostros subditos, universumque Orbem idem de eo existimatos. Non dubitantes, quin sicut ad hoc usque tempus curæ animarum fidelium nostrorum sedulo invigilatis divinoque cultui operam dedistis, qui vestra diligentia in hac nostrâ ditione floret, ut ceteris non sit invidandum; ità posthac in eodem pastoralis Officio perseveraturi sitis: cum nobis decretum, constitutumque sit, in sancta Fide Catholica, & Apostolica, atque in observantia ergà S. Rom. Ecclesiam persistere, quam Majores nostri à primæ Civitatis origine hujusque, divinâ comitante gratia, & sine ullâ intermissione coluerunt.

Mandantes, has nostras, ut omnibus innotescant, in magis conspicuis hujus nostræ Urbis, ac aliarum fidelium Civitatum nostro Principatui subjectarum, locis affigi: ceriò existimantes tam manifestam promulgationem ad omnium aures perventuram, qui de ejusdem Brevis publicatione aliquid audierunt, immò ad Sanctitatis suæ aures accessuram. Deumque obsecramus, ut suo divino spiritu illius mentem excitet, quo Brevis sui, & omnium contrà nos actorum nullitatem cognoscat & causæ nostræ justitia ac æquitate perspectâ, animos nobis addat ad obsequium reverentiamque retinendam ergà sanctam sedem Apostolicam, cujus nos, Prædecessoresque nostri, ac Respublica universa semper fuimus studiosissimi, ac in posterum fore decrevimus.

Datum in nostro Ducali Palatio, die 6. Maji, Indictione: Anno MDCVI.

Jacobus Girardus Secretarius.

A N N O
1608.II.
Ex Memoi-
res du Clergé
Tom. 5. pag.
48.

Breve ad Clerum Gallicanum, quod Regis voluntati obtemperet pro Auxiliò præstando noviter Conversis ad Catholicam Religionem: Anno 1608.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Venerabiles Fratres, & dilecti Filii salutem & Apostolicam Benedictionem.

BENEDICTUS DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos in tam gravibus, & assiduis laboribus constitutos consolari per ineffabilis misericordiæ suæ gratiam nunquam desistit; Accepimus namque cum summa animi nostri lætitia charissimum filium nostrum in Christo Henricum Regem vestrum verè Christianissimum, Zelo Catholicæ fidei propagandæ incensum dare operam quibuscumque rationibus ac viis potest, ut quamplurimi ex hæreticis quotidie ad Ecclesiæ Sanctæ gremium reducantur. Idque cum antea studio & diligentia summâ egerit, nunc diligentius acriusque curare, retribuat illi Dominus secundum opera sua. Quoniam autem renunciatum nobis est, quod longè facilius redderetur multorum conversio ab hæresi ad Catholicam communionem, si postquam reversi sunt, esset unde certum aliquod subsidium ad vitæ sustentationem illis assignaretur, cumque pro Pastoralis nostri munere nullius rei magis satagamus, quam salutis aberrantium nostrarum ovicularum, vehementer optamus, pium consilium atque studium charissimi filii nostri Regis promoveri, potissimum ab ejus Majestate requisiti, propterea vos etiam atque etiam hortamur in Domino, ac efficaciter requirimus, rationem in eis qua ex Ecclesiasticis redditibus istius Regni possit aliqua ratione desiderio Regis satisfieri, & necessitatibus redeuntium ad fidem Catholicam subveniri. Confidimus in vestra pietate & prudentiam, & charitatem vestram magnam esse novimus, pietatis vestræ est Religionis Catholicæ incrementum adjuvare, prudentiæ communi bono consulere, charitatis salutem proximorum quærere: quibus quidem omnibus cum in discernendo hoc subsidio apprime provideatur, non dubitamus quin vestra hæc cohortatio valde efficax futura sit apud vos, quemadmodum vestra erga nos pietas, & observantia nobis pollicetur. Quod quidem re ipsa præstetis ex animo cupimus, atque cum omni charitatis affectu vobis omnibus peramenter benedicimus.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris 4. Idus Junii 1608. Pontificatus nostri Anno quarto. Signatum Petrus Strota. Et sur le repli est écrit, Venerabilibus Fratribus, & dilectis Filiis Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Regni Franciæ.

Ce Bref fut présenté à l'Assemblée generale de 1608. par Monseigneur le Cardinal de Joyeuse, & en suite fut ordonné la somme de trente mille livres pour les pensions des Ministres convertis, les quelles furent payées sur les frais communs des Assemblées, jusque en celle de 1625. qui en fit un département au sol la livre, selon la cotisation de la decime, ledit département est de trente deux mille huit cens vingt trois livres quinze sols, des quelles le Receveur general compte à l'Assemblée.

ANN O
1609.III.
Ex Pape-
prochius sub
die 25. Maji
pag. 105.Breve, quò B. Gregorii VII. festum instituit,
cum celebratione officii pro Ecclesia Salernita-
nà: Anno 1609.

PAULUS PAPA QUINTUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini nostri Jesu Christi, qui Servos suos
æternæ gloriæ præmio donat in Coelis,
vices quamquam immeriti in terris gerentes,
ex injuncti nobis officii debito omnino tene-
mur procurare, ut eorundem Servorum Christi
honos, & veneratio in terris promoveatur,
ideòque fidelium votis, quæ peculiarem ergà
illos cultum respiciunt, libenter annuimus, pro-
ut in Domino conspicimus expedire. Sanè nobis
nuper fuit expositum, nomine Fratris Joan-
nis Archiepiscopi Salernitani, ac dilectorum fi-
liorum Decani, & Capituli Ecclesiæ, nec non
totius Cleri Civitatis Salernitanæ, quod ipsi ex
peculiari, quam ergà Beatum Gregorium Pa-
pam VII. cujus indignum successorem divina
dignatio nos esse voluit, devotionis gerunt af-
fectum, peculiari quoque ritu, die Natali ipsi-
us, & illius translationi sacro; de eodem Bea-
to Gregorio sacrosanctum missæ, & alià divina
officia tenoris subsequenter recitare desiderant:
*Officium duplex recitandum per Capitulum, & Cle-
rum Civitatis Salerni quotannis in die festo, & in
die translationis B. Gregorii Papæ VII. omnia de
communi Confessoris Pontificis præter illa quæ po-
nuntur propria: Oratio. Deus qui beatum Gre-
gorium, Confessorem tuum, atque Pontificem,
Sanctorum tuorum gloria sublimasti, concede
propitius, ut qui peccatorum nostrorum
pondere premimur, ejus apud te precibus
sublevemur. Per Dominum &c. Fit commemoratio
S. Urbani Papæ & Martyris in primis vespere,
& in laudibus (dum occurrit) & in Matutino IX.
lectio. Similiter in secundis vespere S. Eleutherii
P. & M.*

*Ad Matutinum in primo nocturno lectiones de in-
itio secunde Epistolæ B. Petri Apostoli, prout habet
Breviarium Romanum in feria sexta infra octavam
ascensionis. In secundo nocturno Lectio IV. Gre-
gorius Papa VII. Joane in Etruria natus, doc-
trina sanctitate, omnique virtutum genere cum
primis nobilis, mirificè universam Dei illustra-
vit Ecclesiam, supremam verò sacerdotis sui in
terris dignitatem admirabiliter, qui est admi-
rabilis in sanctis suis Dominus præmonstrare digna-
tus est. Nam cum parvulus ad Fabri ligna edo-
lantis pedes, jam literarum infans luderet, ex
rejectione tamen segmentis illa Davidici elementa
Oraculi; *Dominabitur à mari, usque ad mare* di-
vinitus conformasse narratur. Is ab ineunte æta-
te Romæ honestis animus disciplinis excolens,
in domo S. Petri est enutritus, tali nutritore di-
gnus alumnus, ut ejus altissimam, Deo largien-
te, auctoritatem susceperetur aliquandò erat,
ipsum Apostolicum in gremio educatus, Aposto-
licis illis, quas postea in gerendo summo Pon-
tificatu exhibuit, virtutibus plenius imbueretur.
Tu autem Domine.*

Lectio V. Juvenis Ecclesiæ libertatem, à lai-
cis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum
mores vehementius dolens, in Cluniacensi Mo-
nasterio, ubi sub regula S. Benedicti austerio-
ris vitæ observantia eo tempore maxime vige-
bat Monachi habitum induens, tanto pietatis
ardore divine Majestati deserviebat, ut à sanc-
tis ejusdem Cœnobii Patribus Prior sit electus.
Indè, mox à S. Leone Papa IX. quia lucerna lu-

ens, & ardens in Claustrorum angustiis latere
non debebat, sed in Ecclesiæ altissimo vertice
Dei jussu locanda erat, Romam adductus, &
sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus ordinatus,
eidem S. Leoni, ac successoribus usque adeò
carus fuit, ut nihil sine ipsius Consilio gererent.
A Victore Papa secundo legatus à latere in Gal-
liam missus, Episcopum publicè simoniacà labe
infectum, quia humanitatis convinci non pote-
rat, divinitus convicit; cum justus Antistes Glo-
ria Patri, & Filio, & Spiritui sancto palàm
pronuntiare, duabus, quidem divinis Personis
facile pronuntiat, tertiam cujus donum Epis-
copatum pecuniis cœmerat, proferre nullo mo-
do valuisset. Tu autem Domine, &c.

Lectio VI. Denique à Nicolao secundo Pon-
tificis Archidiaconus Cardinalis, & ab Alexandro
item secundo Cancellarius Rom. Ecclesiæ crea-
tus, eidem in summum Pontificatum succedere
meruit. Ad tanti verò honoris apicem assump-
tus, jam forma Gregis factus, quod verbo
docuit, etiam exemplo demonstravit, ac fortis
per omnia Athleta, se pro muro domui Israel
ponere non timuit. Henricum Germaniæ Re-
gem quartum, Ecclesiæ infectum, Fidelium com-
munionem, regnoque privans, subditos populos
fide ei datà liberavit. Cum postea ab iniqui
Regis exercitu Romæ gravi obsidione premere-
tur; excitatum ab hostibus incendium signo cru-
cis extinxit; aliis quoque, tam vivis, quam
mortuis miraculis clarus. Ex Apostolorum
ætate nullus Pontificum fuisse traditur, qui ma-
jores pro Ecclesiâ Dei labores molestiasque per-
tulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugna-
verit. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter susti-
nuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapien-
ter constituit. De manu Henrici tandem à Ro-
berto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Sa-
lernum veniens, ibidem octavo Kalendas Junii,
cum præfuisset Ecclesiæ annos duodecim, men-
sem unum, dies tres, creatis compluribus Ro-
mæ, atque alibi Cardinalibus, & Episcopis,
die dominico migravit ad Dominum, ejusque
sacrum Corpus in Cathedrali Basilicâ Salernita-
nâ est honorificè conditum. Tu autem &c. *In
tertio nocturno lectiones de homilia S. Leonis
Papæ in Evangelium, venit Jesus in partes Cæ-
sareæ Philippi, quas habet Breviarium Romanum
die 22. Februarii, in festo Cathedræ Antiochenæ
S. Petri.*

*Missæ dicitur, quæ ponitur in Missali Romano
die XI. Aprilis in festo S. Leonis Papæ, præter
Orationes, Oratio prima. Deus qui B. Grego-
rium, ut supra. Secreta. B. Gregorii Confessoris
tui, atque Pontificis, quæsumus Domine annua
solennitas nos reddat acceptos, ut per hac pie
placationis officia, & illum beata retributio co-
mitteretur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per
Dominum. Post com. Da quæsumus Domine,
fidelibus populis B. Confessoris tui, atque Pon-
tificis Gregorii semper veneratione lætari, &
ejus perpetuâ supplicatione muniri. Per Domi-
num nostrum. &c.*

Cumque tam Joannes Archiepiscopus, quam
Decanus, & Capitulum, ac Clerus prædicti no-
bis humiliter supplicari fecerint, ut de opportu-
nâ sibi in præmissis licentiâ providere benigni-
tate Apostolicâ dignemur; Nos eorum lau-
dabile desiderium in Domino plurimum com-
mendantes, & eorum singulos à quibusvis ex-
communicationis, suspensionis, & interdicti
aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, &
pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasio-
ne, vel causa latis, si quibus quomodolibet
innodati existunt, ad effectum præsentium dan-
taxat consequendum, harum serie absolventes
& absolutos fore censentes, hujusmodi suppli-

ANNO
1612.

cationibus inclinati, de venerabilium, fratrum nostrorum S. R. Ecclesie Cardinalium, sacris ritibus praefectorum, quibus rem examinandam & matre discutiendam commisimus consilio, eisdem & protempore existentibus Archiepiscopo Salernitano, ac Decano, & Capitulo Ecclesiae, & Clero Civitatis Salernitanæ, ut Officium praedictum cum missa de communi unius Pontificis, cum Orationibus, & lectionibus fecundi nocturni, propriis, annis singulis, tam ejusdem B. Gregorii, quam ejus translationis diebus festis sub ritu publici recitare, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium, perpetuam licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non D. Ecclesiae, etiam juramenti, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 28. Julii 1609. Pontificatus nostri anno quinto.

S. Cobellurici.

IV.
Ex Memoires du Clergé de France
Tom. 1. pag. 919.

Revocat indultum Mulieribus concessum ingrediendi Monasterium Monialium: Anno 1612.

PAULUS PAPA QUINTUS,

ad futuram rei memoriam.

Monialium statui, quae secularia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem, & regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter impendimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

§. 1. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium mulieribus secularibus concessas, dictis monialibus inferre: Nos malis hujusmodi opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnes & singulas licentias ingrediendi Monasteria monialium ubique locorum existentium, ac cum monialibus conversandi, & refectorem sumendi corporalem mulieribus cujuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus & efficacioribus, ac insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum à praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & etiam à nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus, & irritamus, ac revocatas, cassas, & irritas esse decernimus.

§. 2. Inhibentes mulieribus praedictis licentias hujusmodi habentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, à qua non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ne monasteria praedicta praetextu licentiarum hujusmodi ingredi audeant, seu praesumant.

§. 3. Ipsorum verò Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac superioribus, sub eadem, ac privationis suorum officiorum quae obtinent,

& inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis ne eas introducere seu admittere, vel admittas quoquo modo retinere audeant, seu praesumant.

§. 4. Quo circa dilectis filiis nostris, & Apostolicae sedis pro tempore existentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, nec non dictorum Monasteriorum praelatis, & superioribus, praecipimus & mandamus, quatenus praesentes litteras publicari, & praemissa omnia observari faciant; Contradictores quoslibet, ac praemissis non parentes, per praedictas & alias sententias, censuras & poenas, aliaque Juris, & facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Quia verò difficile foret has litteras ad omnia loca deferri; volumus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die decima Julii, millesimo sexcentesimo duodecimo, Pontificatus nostri Anno octavo.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo duodecimo, Indictione decima, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Domini Pauli divina providentia Papa V. anno ejus octavo, die verò duodecima mensis Julii Retroscriptae litterae affixae, & publicatae fuerunt ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem. Virginius de Virginiis pro mag. Curs.

GREGORIUS XV.

PONTIFEX CCXXXVIII.

ANNO DOMINI MDCXXI.

Gregorius Bononiensis ex Gente Ludovisae annorum duorum Pontifex venit, nè in privatis Sermonibus, & scriptis Diva Virgo in peccato Originali asseratur concepta, & nè alio nomine in officio, & missa, quam Conceptionis quis utatur. Obiit anno 1623. (*Magni Bullarii Romani Tom. 1. hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. III. fol. 418. App.*)

Quod Congregatio Clericorum Regularium Sancti Pauli, omnibus gratiis, prerogativis, & privilegiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum perfruatur: Anno 1621.

GREGORIUS PAPA XV.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex personarum ecclesiasticarum quarumlibet praesertim regularium vota religionis propagationem, & augmentum respiciens ad exauditionis gratiam libenter admittit prout conspicit in Domino salubriter expedire.

ANNO
1621.

Exorcium.

S. I.